MISCELLANEA CRITICA.

1.

Ad leg. 1. D. *ad legem Iuliam de vi privata.* Lex Roscia. Lex Iulia theatralis.

Edi video in leg. 1. D. *ad legem Iuliam de vi privata: De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Iulia publicatur, et cautum est ne Senator sit nec Decurio aut ullum honorem capiat neve* in eum ordinem *sedeat neque iudex sit.* Manifesto mendosa sunt verba, *neve in eum ordinem sedeat,* sed facile est ex loci argumento reperire quid in corruptis syllabis INEUMORDINEM lateat, nempe nihil aliud quam INQUATUORDECIM, *neve in* Quatuordecim *sedeat.* Quum de eo loco ad amicum iuris Romani peritissimum retulissem, indicavit mihi locum Iac. Cuiacii, qni libr. VIIII. cap. XVI. Observatt. et Emendatt. ita scripsit:

„Errores ex notis creati.

In lege Iulia de vi privata puto fuisse scriptum: neve in XIIII ordinibus sedeat, *ut in lege Roscia de decoctoribus, pro quo corrupte in l.* 1. *D. ad leg. Iul. de vi privata:* neve in eum ordinem sedeat." Itaque de summa rei inter nos convenit et hoc tantum quaerendum utrum verius sit, *neve in* quatuordecim *sedeat,* an, *neve in* XIIII ordinibus *sedeat.* Primum quaero utrum sit vero similius errorem hunc *ex notis* esse *creatum,* quod suspicatus est Cuiacius, an ex inscitia librarii, qui quum esset in Antiquitatibus Romanis plumbeus non intelligens quid esset in quatuordecim sedeat, substituit dormitans in eum ordinem. Sed quae potuit esse nota eorum verborum, quae neque concepta sunt neque tunc usu trita? Compara mihi alios errores ex notis creatos et toto coelo ab huiusmodi loco diversos esse videbis. Confusa saepe sunt *Praetor* et *Populi Romani,* id est PR. et P. R. Confusa sunt *Senatus*

Consultum et *Sententiam Constitutionis*, quia utrumque scribebatur S. C. Confusa sunt *Fidei Commissi causa* et *Fraudandorum Creditorum causa*, quia utroque modo legi poterat nota F. C. causa. Felicissima est nota Th. Mommsenii emendatio *Populi Romani Ius* pro PRIUS, sed diversissima ratio est verborum *neve in quatuordecim* (*ordinibus*) *sedeat*, quorum neque nota fuit umquam, neque si fuisset (veluti IN XIIII ORDIN.) liquido apparet quo pacto in EUM ORDINEM abire potuerit. Manifestum est scribam alias res agentem libri quem describebat lectionem vitiasse. Utrum *in quatuordecim*, an *in* XIIII *ordinibus* dare debuerit, ex usu loquendi diiudicandum et constituendum esse censeo. Vivo Caesare in re tritissima usitatum erat ita dicere *sedere, sessum ire, sessum deducere in quatuordecim, spectare e quatuordecim*, similiaque. Iuvabit cum noto Suetonii loco locum Ciceronis componere. Suetonius in vita Caesaris 39 ita scripsit: *Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit donatusque quingentis sestertiis et annulo aureo* sessum in quatuordecim *e scena per orchestram transiit.* Haec ipsa res obversabatur Ciceroni quum scriberet (ad Fam. X. 32) *Balbus quaestor —fecit, ut ipse gloriari solet, eadem quae C. Caesar. Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, histrionem, summo ludorum die annulo aureo donatum* in quatuordecim sessum deduxit; *tot enim fecerat ordines equestris loci*, in quo loco ultima verba, *tot enim fecerat ordines equestris loci*, vehementer mihi de fraude suspecta sunt et interpolata videntur. Fiebant Gadibus omnia ad id exemplum, quo Romae ludis solebant, discretaque erat lege theatrali sedes ordinum. Equites etiam Gadibus dicuntur *in quatuordecim sedere*, non quia Quaestor *equestris loci tot ordines fecerat*, sed quia Romae Equitum sedes ita vulgo appellari solebat. Eodem modo ex populari usu loquitur Suetonius in vita Aug. 40: *quum plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio spectare ludos* e quatuordecim *non auderent metu poenae* (*legis*) *theatralis, pronuntiavit non teneri ea quibus ipsis parentibusve equester census umquam fuisset.* Sic et apud Petronium cap. 86 quaedam dicit: *ex hac nota domina est mea, usque ab orchestra* quatuordecim *transilit et in extrema plebe quaerit quod diligat.* Satis ex his locis intelligimus popularem

hanc et omnium usu tritam locutionem fuisse. Sunt qui addant *gradus* vel *ordines*, quemadmodum alii eadem *subsellia* appellant vel *equestria*, diciturque *sedere in equestribus* et *sedere in equite:* unde iocus apud Petronium: *ego etsi ancilla sum numquam tamen nisi in equestribus sedeo.* De lege Roscia, qua ordinum sedes discreta est, haec habet Livius in Epit. 99: *L. Roscius tribunus plebis legem tulit ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Notissima lex est et a plurimis memorata, sed est quaedam in constituendo anno quo lata sit difficultas, quam indicare magis potero quam solvere. L. Roscius Otho tribunatum plebis gessit anno 66 a. Chr. M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. sed iniit tribunatum de more a. d. IV Id. Dec. anni superioris a. Chr. 67. (cf. Livium XXXIX. 52), sub cuius anni exitum tulit legem theatralem, ut colligo e Dione Cassio XXXVI. 25. *ἐσήνεγκε μὲν οὖν καὶ ὁ Ῥώσκιος νόμον, ἐσήνεγκε δὲ καὶ ὁ Γάϊος Μανίλιος, ὅτε ἐδημάρχησεν.* Legendum est, *ὅτε ἐδημάρχησαν*, *postquam tribunatum plebis inierunt*, id est exeunte anno 67, ut ex sqq. apparet. *ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν (τὰς γὰρ τῶν ἱππέων ἐν τοῖς θεάτροις ἕδρας ἀκριβῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφώρισεν) ἔπαινον ἐπ' αὐτῷ ἔλαβεν, ὁ δὲ δὴ Μανίλιος καὶ δίκην ὀλίγου ὑπέσχεν.* Tulit enim legem de libertinorum suffragiis, quam pertulit pridie Cal. Ian. (*ἐν τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ*), quamque novi Consules L. Tullus et Aemilius Lepidus Calendis Ianuariis in Senatu damnarunt. Haec Dio: unde liquido colligas et Rosciam legem et Maniliam sub exitum anni 67 perlatam fuisse. Confirmat hanc rationem Livius, confirmat Vell. Paterculus II. 32, confirmat Asconius Pedianus cum ipso Cicerone, qui de Manilio legem de libertinorum suffragiis ferente ita dixit in Corneliana: *in quo cum multa reprehensa sunt, tum imprimis celeritas actionis*, ad quem locum annotavit Asconius: *Celeritatem actionis significat quia Manilius, sicut iam ostendimus, post pauculos statim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit.* Ad amussim haec cum Dionis testimonio conveniunt. De lege Roscia in eadem oratione p. 78 dixit: *plebs — cum legem Aureliam cum Rosciam non modo accepit sed etiam efflagitavit*, ubi Asconii annotatio mutilata est: *Aurelia lege communicata esse iudicia*

inter senatores et equestrem ordinem et tribunos aerarios * * * * *qua L. Roscius Otho biennio ante confirmavit, in theatro ut equitibus Romanis* XIIII *ordines spectandi gratia darentur.* Cicero Cornelium defendit praetura functus anno 65 a. Chr. Roscius, Manilius et Cornelius eodem anno tribunatum gesserunt ex a. d. IV Id. Dec. anni 67 usque ad diem eundem anni 66, Cicerone Praetore. Cornelius statim ut potestate abiit anno exeunte reus factus est. Dixit causam anno post, id est anno 65, et defensus est a Cicerone praetorio, Asconio teste. Itaque si *biennio ante* lex Roscia perlata est, novo et certo argumento apparet anno 67 id esse factum. Sed vehementer cum his pugnant quae apud Plutarchum scripta sunt de rebus a Cicerone in consulatu gestis in vita Ciceronis cap. XIII. Quantum Cicero dicendo valuerit, inquit, declarat τὸ περὶ τὰς θέας ἐν τῇ ὑπατείᾳ γενόμενον. Τῶν γὰρ ἱππικῶν πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς καὶ μετὰ τοῦ δήμου θεωμένων, ὡς ἔτυχε, πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων ϛρατηγῶν καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσιν. Ea lex, ut pergit Plutarchus, irritavit plebem. Othonem ubi in theatrum venit plebs sibilis excepit, equites plausu. Hinc irae, maledicta, turbae in theatro, quas Cicero concione ad Bellonae aedem habita (τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερόν) orationis dulcedine sedavit et composuit. Confirmat Plutarchi testimonium Cicero ad Atticum scribens II. 1. § 3 ubi orationes suas *consulares* enumerat: *Quarum una est in senatu Kal. Ian.; altera ad populum de lege agraria;* tertia de Othone; *quarta pro Rabirio* cet. Scio esse qui huius testimonii fidem summa ope convellant; itaque utar alio quod convelli non potest. Plinius in H. N. VII. 30. Ciceronis orationes *consulares* sic enumerat: *Te dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus:* te suadente Roscio theatralis auctori legis ignoverunt notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt: *te orante proscriptorum liberos honores petere puduit,* cet. Satisne hoc disertum testimonium est? Accedit quod Cicero Consul dixit in Murenae defensione cap. 19. *L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec,*

quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. Miror quo pacto haec omnia Cicerone Consule agi dicique potuerint de lege quadriennio ante lata', et plebem tam sero Othoni irasci coepisse. Miror quo modo L. Roscius Otho apud Asconium dicatur *confirmasse* legem, et apud Ciceronem *restituisse* equestri ordini dignitatem. Eodem verbo utitur Velleius Paterculus II. 32: *Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit.* Accedit quod ab reliquis omnibus auctor legis *Lucius*, a Plutarcho Μάρκος appellatur; et quod a Livio et Dione *tribunus plebis* fuisse dicitur, a Plutarcho *praetor* (ϛρατηγῶν). Neque expedio quo modo legem, quam plebs in ignominiam sui trahebat, ipsa plebs *non tantum accepisse sed etiam efflagitasse* a Cicerone dici potuerit. Nil reperio quo haec expediri et inter se conciliari posse videantur. Revertor ad loquendi usum, quo quis locutione populari *in quatuordecim sedere* dicebatur aut in oratione paulo exquisitiore *sedere in quatuordecim ordinibus.* Poëtae sic solent, ut Iuvenalis XIV. 324:

> *effice summam*
> *bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.*

Cicero ita dixit noto loco in secunda Antoniana cap. 18: *sedisti in quatuordecim ordinibus quum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo, decoxisset.* Hic ipse Ciceronis locus obversabatur Cuiacio quum legem Rosciam *de decoctoribus* commemoraret et ex eodem loco sumsit *neve in* XIIII *ordinibus sedeat,* immemor pervulgatae locutionis popularis *in quatuordecim sedere.* Eodem modo Tacitus locutus est Annal. XV. 32: *lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit,* et Plinius H. N. XXXIII. 2: *Constitutum ne cui ius id esset* (annuli aurei) *nisi cui ingenuo ipsi patri avoque paterno sestertia quadringenta census fuisset et lege Iulia theatrali in quatuordecim ordinibus sedendi;* et Suetonius in vita Aug. 14. *Quum spectaculo ludorum gregarium militem in quatuordecim ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset.*

Superest ut videamus cuius fuerit nova lex theatralis Iulia. Lex Roscia bis ab Horatio commemoratur: primum in Epod. IV. 16:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contemto sedet.

deinde in Epist. I. 1. 62:

Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum
naenia, quae regnum recte facientibus offert.

Itaque anno 21 a. Chr., quo Horatius Epistolarum librum priorem absolvit, lex Roscia nondum nova lege repetita erat. Videtur id postea fecisse Augustus, nam nulla est dubitatio quin Iulia lex theatralis Augustum habeat auctorem. Equites, qui metu poenae e quatuordecim spectare ludos non audebant (ut supra vidimus), non veterem aliquam legem theatralem metuebant, sed novam ac recentem, quae erat ipsa lex Iulia. Leges theatrales facile obsolescunt, praesertim temporibus turbidis. Itaque quum lex Iulia obsolevisset, eam Domitianus confirmavit, teste Suetonio in vita Domitian. 8. *Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit,* ubi *in equite* dictum est eodem sensu quo olim *in quatuordecim* et deinde *in equestribus,* vid. Sueton. Calig. 26 ibique Interpretes. Inhibitam licentiam theatralem, ut equestria ab infimo quoque occuparentur, non uno loco celebrat Martialis, veluti V. 26:

Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrate, surge:
Lectius ecce venit, sta, fuge, curre, late.

et imprimis Epigramma V. 8, cuius initium est:

Edictum domini deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.

Ad sua usque tempora equites hoc retinuisse Plutarchum supra audivimus dicentem: *καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσιν.*

2.

Themistii locus correctus.

Suorum temporum felicitatem praedicans Themistius p. 178 D. ita scribit: *ἔξεστιν ἀφεμένους τῶν πόνων καὶ τῶν φροντίδων πλεῖν ἡσυχῇ τῶν ἱστίων ἐμπεπλησμένων πνεύματος ἀγαπητοῦ καὶ ἀθορύβου καὶ διαρκοῦς ἐστεφανωμένους καὶ ὑμνοῦντας τὸν δοτῆρα θεὸν*